

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1308

Auteur(s) : Jeanne, fille de Jean Varnier [particulier]

Bénéficiaire(s) : Alain de Saint-Ouen, Bayeux (vicaire)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1286, 16 juin

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Jeanne, fille de Jean Varnier, veuve, vend à Alain de Saint-Ouen, pour 4 livres et 5 sous tournois, la moitié d'un pétrin, rue Franche, à Bayeux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DXXXV, t. 2, p. 283-284.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentes et futuri quod ego Johanna, filia Johannis Varneri, vidua, tempore viduitatis meæ, vendidi, concessi, et penitus concessi, in perpetuum, domino Alano de Sancto Audoeno, perpetuo vicario in ecclesia Baiocensi, medietatem cujusdam peregrini, quod habebam in parrochia Sancti Salvatoris Baiocensis, in vico qui dicitur Francus Vicus, juxta domum Johannis de Nihaux, clerici, cuius peregrini alia medietas est dicti vicarii, pro quatuor libris et quinque solidis Turonensibus, de quibus me teneo penitus pro pagata : tenendam, et habendam, et jure hæreditagio (sic) possidendam dicto Alano et suis hæredibus dictam medietatem dicti peregrini, prout se extendit in longum et latum, libere, pacifice, et quiete, et ab omni redditu absolutam, sine reclamatione aliqua mei et meorum hæredum de cetero facienda, et acquirare, et deffendere erga omnes ; et quo ad hæc ego obligo omne meum patrimonium, quod habeo in parrochia supradicta, ita quod illud patrimonium non valeam vendere, dare, elemosinare, aut aliquo redditu honerare, quin teneatur acquirare medietatem peregrini supradicti, et quin in dicto toto patrimonio valeat plenaria justicia exerceri, pro redditu dictæ medietatis dicti peregrini, quocienscumque necesse fuerit, competenter. Et ego prædicta Johanna et mei hæredes tenemur et debemus medietatem dicti peregrini dicto Alano et suis hæredibus, vel cui aut quibus dictam medietatem dicti peregrini voluerit dare, vendere aut elemosinare, deffendere contra omnes, vel excambiare alibi, in nostra propria hæreditate, valorem ad valorem, si necesse fuerit, competenter, et ipsum Alanum super hoc servare indempnem. Et, ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, ego prædicta Johanna præsentem cartam sigilli testimonio roboravi. Valete in Domino. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, die dominica proxima post Trinitatem.